



Wiener Stadt-Bibliothek.

27868 A





5. n.
Aug 1878.

ACTVS POE-
TICVS IN GYMNA-
SIO VIENNENSI
CELEBRATVS.

IN QVO,

Paulus Fabricius Cæ-

SARIS ET ARCHI-

DVCVM AVSTRIÆ

MATHEMATICVS

DO. MED.



NOMINE ET AVTORITATE IN-
uictissimi Imperatoris Ferdinandi, consentiente Sereniss. Prin-
cipe Maximiliano Bohemorum Rege: Ad privilegia Poëtici
Collegij à Sacratiss. piæ memoriæ Casare Maximiliano
instituti, Henrico Ecardo Noribergensi, lau-
ream coronam imposuit Poëtamq̃
creavit & renunciauit.

IIII. Nonas

Iulij.

ANNO,

M. D. LVIII.

J. N. 40227.



REVERENDIS-
SIMO IN CHRISTO PATRI,
AC DOMINO D. IOANNI MIRLE,

CELEBERRIMI MONASTERII CAM

pililiorum Abbati, Domino ac Patrono suo,
perpetua pietate & summa ob-
servantia colendo.

S. P. D.



Immortalitatem scripta doctorum historias & carmina
consequi, Tam verè quàm eleganter ostendit Ovidius
his versibus.

*Scindentur vestes gemmæ frangentur & aurum
Carmina quam tribuent fama perennis erit.*

ET ALIBI.

*Vinet Meonides Tenedos dum stabit & Ida
Dum rapidas Simois in mare voluet aquas
Vinet & Ascreus, dum mustis vva tumebit
Dum cadet incurva falce resecta Ceres.*

*Tityrus & segetes Aeneiaq; arma legentur
Roma triumphati dum caput orbis erit.*

*Cedant carminibus Reges Regumq; triumphum
Cedat & auriferi ripa beata Tagi.*

Quam verè hoc dixerit Poëta vel nos ipsi testari debe-
mus, ab eo enim tempore quo hæc scripsit Poëta mille &
quingenti anni sunt elapsi, nec modo in tot multarum re-
rum Regnorum & Imperiorum mutationibus & interi-

A ij tu, sunt

tu sunt seruata scripta antiqua, sed ne adhuc quidem time-
mus ea non duratura ad nouissimum vsq̄ diem. Et nostra
ætas posteritati digna etiam relinquit plurima, Libuit au-
tem periculum facere, num & hoc scriptum communi fa-
cto frui possit & diuturnum aliquid acquirere. Quod ideo
tuæ Reuerendæ dignitatis nomine edere volui, vt vnâ
cum hoc scripto eius memoria viueret, cum non modo in
literis & bonis artibus egregiè versatus sis, sed de ijs ipsis
quam optimè mereris. Boni itaq̄ consule & vale, 1558.
Idibus Iulij.

Tuæ Reuerendæ dignitatis
studiosiss.

Paulus Fabricius Cæsaris & Archiducum
Austriæ Mathema-
ticus.

A C T V S

ACTVS POE-
TICVS VIENNÆ
AVSTRIÆ CE-
LEBRATVS.



Pauli Fabricij ad Ma-

gnificorum Virorum confes-
sum. Oratio.



Conticuisse omnes intentosq; ora tenere
Eximia pietate Viri, virtutis amore
Præstâtes, Rerūq; Scholæ nostræ optime Rector
Vos video, vocem video expectare loquentis
Atq; nouam tacito mirari pectore pompam.
Si quas ingenij vires mihi contigit esse
(Quas tamen exiguas fateor) si contigit vsus
Carmina tractandi (ceu contigit) vnica tandem
Si qua rei ratio est, quæ possit digna videri
Musarum à studijs & honestis artibus orta

(In quibus ætatem contriui) scilicet ista
Omnia iure suo præsens sibi vendicat actus.

Nam quis prætereat sine cura? negligat illa
Quæ bona consilioq; bono rituq; vetustas
Et ratione bona instituit, recto ordine sanxit?
Intermissa diu quis non producat ad vsum?

Me vocat huc etiam ratio pietatis & æqui
Non iuuet hic alios? alios non sedulus ornet?
Quem iuuere alij, studio quem iuuit eidem
Tradere se, & totam iuuenilem dedere vitam
Atq; voluptatis fructum ex hoc ferre labore.

Quid quod vari etiam & Medico cõmunis Apollo
Præses adest vtriq;? sed hic ab Apolline sermo
Principium sumat, viresq; ab Apolline sumat.

Diues opum regio, Graia notissima terra
Nomine Thessalia est, vbi spectat Olympus ad Ossã
Quos sibi verticibus quondã inuoluere Gygantes,
Est ibi quod Tempe dicunt, Pæneus ab imo
Effusus Pindo placidis vbi labitur vndis.

Phoebus ibi Daphnẽ quondam Pythone perempto
Spectat & ingenti Deus impiger vrit amore,
Ignis in medio penitus se pectore condens
Insuetumq; nouo cor agit penetrabile motu.

Captat amator amari, & blando tentat adire
Colloquio, patremq; Iouem, dotesq; recenset.
Illa Iouem in causa patrem nihil æstimat ista,

Nec

Nec pharëtras cantusq; Dei, thalamosq; petentis,
Virgo manere cupit frondosis abdita syluis.

Ille suo cupidus modo tentat amore potiri
Sed nullam hæc crudo sub pectore sentit flammã,
Vim parat hic iratus amatæ non redamanti,
Hæc fugit, ille fugat nolens, sequiturq; fugatam.

Proximus amnis erat, de quo pater exerit vdim
Peneus caput, illa patris caput inuocat alte
Virgo fui, nisi me rapis hinc, Deus insequitur me
Nescio quis, quauis modo virgo in cortice condar,
Perge pater, nec amer, nec ei sit copia nostræ
Virginitatis, opem præsta pater, Ocyus illam
Pone suas claudit Peneus in arbore ripas.

Consiliũ tempusq; sequensq; negabat Apollo
Tũc aliud, mora deest, quia adhuc quoq; cortice nudã
Phoebus anhelanti sed toto pallidus ore
Fertur corripuisse coma, sperasseq; plura,
Et fecisse putant, nisi tota recondita Daphne
In laurum, subito nisi cortice tecta fuisset
Spemq; sui totam sic præclusisset amoris.

Quæ thalamos modo viua meos exclamat Apollo
Fugisti, mea nunc fias inuitaq; nostras
Cinge comas, habeantq; istum hæc incendia finem.
Quid fugisse iuuat? non vis mea viuere mecum
Vxor, at arbor eris mea, teq; comamq; virentem
Ipse tui compos victoribus atq; Poetis

Dedico,

Dedico, tu carmenq; orna, celebresq; triumphos
Quiq; triumphali deuictis hostibus alte
A niueisq; vehuntur equis super atria curru.
Quiq; triumphantes ad postera secula mittunt
Deuictosq; hostes victuro carmine condunt.

Hæc ait, & lauri carpens ex arbore frondes
Serra ligat, pinumq; coma non lentus agrestem
Quam dedit Ossa prius demit, laurumq; reponit.

Posterior morē quem Phœbus condidit ætas
Approbat, atq; suo sacra accipit optima ritu.

Heu mihi sed spumans vbi nunc Peneus? & arbor
Laurea Penei iuxta amnis consita ripas?

Turca ferox Graios dum potat & obtinet amnes,
Flammato pulsataq; globo nostra horridus arua:
Milite depopulans numero, & milite tristi
Ignaro virtutis & ignaro pietatis.

Non secus obscuræ quæ si per tempora noctis
Incustoditis inuadit ouilia septis

Et lupus in stabulis passim grassatur in agnas,
Et sine delectu, quæcunq; eat obuia rumpit.

Et quamuis vna ingluuiem saturaret, in omnes
Exercet rabiem & crudeli vulnere sternit,

Hæc rabies Turcæ, regniq; illius imago,
Dira quidem res est, & lamentabile fatum:
Sed Deus auxilium præsentis vt conferat æuo
Et reprimat nostris dirum à ceruicibus hostem

Pescimus,

Poscimus, hunc placidam deuoto pectore pacem
Poscimus, hic Musas etiam dignatus amore
Romano Imperio, Germanis deinde Monarchis
Subdidit, ut pulsas Graia tellure fouerent.

Has Domus Austriadum quoque sacrosancta recepit
Hospitio, magnaque fouet pietate receptas,
Utque alia illarum turatur libera iura
Omnia, quae quondam tenuerunt more paterno,
Sic quoque Phoebæam laurum custodit, & illa
Candida Doctorum circumdat tempora varum.

Quæ mora vos igitur Iuuenes tenet, incluta vobis
Præmia monstrantur, date vestra laboribus apte
Ingenia, & turpi modo non torpescite luxu.

Si quis in hoc quæris coetu studiosus honores
Res age, (nam pigros Deus odit, & odit inertes)
Aggredere inque Deo, nec erit labor irritus, ille
Sit tibi principium, sit spes, sit meta laboris.
Is tibi successumque dabit, fructumque labori.

Sensibus humanis tamen vndique retia tendere,
Ne vel avaritiæ sordes sint finis agendi
Neue vel ambitio, vel inanis gloria vulgi

Quo Deus, ingeniumque vocant, quo publicus vsu
Te status vsurpat, sub eo pro viribus arma
Palladis hæc seu sunt, seu sunt ciuilia tracta.
Auxiliumque Dei pete, nam iuuat ille petentes.
Cum labor in fine est, factum nihil esse putato

B Quam

Quam quod is effecit, quam quatenus affuit ipse.
Gloria sola Dei est, tu seruus inutilis esto
Omnia plena Deo, Deus omnia in omnibus implet
Ille bonos motus ferit, excitat, rigit auget,

Sic ego te moneo fructum qui ferre laborum
Expetis, hoc iubeo si Pythia sacra requiris
Musarum si quæris opes, si quæris honores.

Quinetiam duros si tali mente labores
Suscipies, facilis iustoq; sequeris amore.

Te rerum Dominus, regniq; Monarcha Quiritum
Ferdnandus, caput orbis, & Imperij ornamentum
Ad sua dona vocat clemens, ad digna laborum
Præmia Doctorumq; citat, sunt carmina curæ
Sacra sacro patrono, & tantum numen habenti.

Ille tuo capiti dignos decreuit honores
Has lauros, Phœbi monumenta & præmia vatum.
Intextas violis & suaue rubenti Hyacintho.

Quis Musas sine honore iacere? & præmia nulla
Carpere nunc dicit? Studium quis inutile clamat
Esse Poëtarum? Musas & Apollinis artes

Quis negat esse suis nunc rursus honoribus auctas?

Quare agite o Iuuenes tantarum in munere laudū,
Cingite fronde caput, lauroq; intexite crines
Communemq; vocate Deum, Deus adsit honori
Ut vestro, vestroq; Deus sepectore condar.

At tu qui præsens hæc munera poscis Ecarde

Huc

Huc ades, hic tantosq; tui cape frontis honores
Atq; labore tuo dignos, sine tempora circum
Inter Apollineas hederam tibi serpere lauros.
Leucoio mistas cum purpureoq;, Amaranto
Hos tibi Cæsareæ do Maieſtatis honores
Nomine, & Archiducum latè quibus Austria parer.
Magnifici quoq; Rectoris, Sanctiq; Senatus
Culta Viennensis quibus est Schola subdita, iussu
Namq; potestatem hanc Cæsar demisit in istos.

Phoebe precor faueas, radijs illustribus auro
Sparge tuum numen, ver desijt, incipit æstas
Flauaq; spiciferis velat suà tempora fertis
Phoebus adest propior, linguis animisq; fauere
Phoebus adit nostrum caput, & nunc plurima summo
Cudere ferrea tela Ioui solet impiger heros
Fulmina cum tonitru, rapidaq; volantia flamma
Vulcanus, veneris monstrum tam turpe maritus.
Phoebe propinque tuam radijs ornato coronam
Clarus eas atq; hanc sine nubibus exige lucem.

B ij NVNC

NVNCE TEM-
PVS ET RES. POSTVLANT VT
QVÆ SOLENNES CEREMO-
NIAE. DEBENT TRACTA-

ri à me pera-
gantur.



QVare primo tibi ex institutoe Srenifis: piæ memo-
riæ Imperatoris Maximiliani do annulum aureum, mo-
neo te hac ceremonia vt cogites vniuerfam Encyclope-
diam ad bonum Poëtam spectare.

Secundo propono tibi librum apertum vt memine-
ris te linguarum ac artium bonarum studio & bonorū
autorum lectione occupatum esse, atq; ad imitationē
optimorum te componere debere. In historias deniq;
& scripta Poëtica, quæ præsertim ad bonos mores for-
mandos spectant, tanquam in speculum inspicere iu-
beo.

Hortor autem te in primis hoc loco vt morum mo-
destiam, quæ hæctenus te nobis commendauit secteris:
ac custodias, longè furorem Poëticum flagitiosum il-
lum fugias.

Est genus hominum qui se optimos Poëtas putant:
nec sunt, imo ne Poëtæ quidem sunt, ij serio illud Poë-

tæ:

te imitantur. Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum, si vis esse aliquid, &c.

Primo enim illi deliberato consilio stultescunt paulo post ex stultis insani sponte fiunt, hinc nihil inausum & intactum relinquunt, vt sub figmento illius scelerati furoris, quam boni sint Poetae & viri se indicent. Sed mehercle ij cogitare debebant vitia vix studio & diligentia regendi vitam celari posse, tantum abest vt laudem mereantur, si se vt Sorices suo iudicio produnt, atq; scurras immodestos & ebriosas sues pro bonarum literarum studiosis ostentant & alijs execrandos proponunt.

Sed tu quocunq; modo potes horum scelera execrare, ac alijs ostende non legitimus furorem Poeticum hunc esse, sic fiet vt illi dignum suo furore praemium accipiant, & honor ac dignitas Poeticae professionis defendatur. Furor Poeticus afflatus quidam est ex quo animi affectus vel motus proficiscitur, qui Graecis protrepticus dicitur, similimus illi, quo iuuenes puellas deperunt, Vtq; illi amatores puellas cum quodam furore & impetu, sic hoc furore capti bonas artes prosequuntur, cumq; affectus impetu suo foras in actiones se profundat, & cogitatio mentem in varias res distrahat, haec aequè vt illi pro ratione obiectorum negotiorum subineptiores interdum spectantur nihil autem sceleratum & spontaneae insaniae ostendunt.

Fatendum quidem est hilariiores sæpenumero & animosiores esse bonos Poëtas non occupatos laboribus & studijs, neq; mirum id quidem. Agilitas enim spirituum subtiliorū & calor cordis, amorisq; feruor quo & literarum studia prosequuntur & operum susceptorum successum sperant hoc efficit, Neq; prætereo hoc loco cum nascantur Poëtæ potius quam fiant, quod raro egregia ad hexim dispositio ex astris oriatur & spiritu illo coelesti agitetur, sine potenti & foelici positu Martis cum alijs constellationibus huc spectantibus, æque vt Mathematicis & subtilioribus mechanicis cōtingit. Possem hoc nō modo exemplis, sed rationibus etiam multis confirmare.

Verum ad te redeo Ecarde & tibi nunc demum lauream coronam ab Imperatore Sacratiss. Maximiliano ad hoc deputatam impono, per hoc te moneo vt res dignas immortalitate tractes. Postremo osculum pacis offero quo quidem concordia & pietatis te memorem esse iubeo, Vt autem scelerati est mouere seditiones, turbare hominum tranquillitatem, Ita anilis animi esse puta, & grande contra iustitiam ac pias leges peccatum quassibet à quolibet iniurias pati, sed tamen legitime te repellere iubeo.

His peractis Ego nomine loco & autoritate Inuictiss. Imperatoris Ferdinandi I. P. F. P. P. consentiente Sereniss. Bohemorum Rege Maximiliano optimo

mo Principe Poëtā Laurateū te creo & in nomine in
diuiduæ Trinitatis Patris, Filij & spiritus Sancti re-
nuntio. Et confero tibi dona priuilegiaq; omnia ad
Poëtas spectantia. Et do potestatem legendi, profiten-
di, & in honestis ac concessis materijs, hic & ubiq; lo-
corum in vniuerso Romano Imperio, commentandi,
Atq; vt quid sentiam de Poësi porro intelligas, hanc
breuem Elegiam de Insula Poëtarum & propter te &
auditores recito.

DESCRIPITIO

INSVLÆ POE-

TARVM.



TEmpus erat prono quo Sol agit aurea curru
Lumina sub fluctus Hesperis vnda tuos
Quando Viennensi ductum me nuper ab vrbe
Parua procellosa cymba vehebat aqua.
Quæ mihi proposui modo tangere, tangere rura
Nox vetat, in medijs me quia cingit aquis
Applicat ad ripæ latus vdam Nauita cymbam,
Atq; ait hospitium sylua sit ista tibi.

Egre:

Egredior lintrem steriliq; immergor in vlua,
Altaq; prima meos tardat arena pedes.
Stat nemus obscurum frondosaq; ilice densum,
Hospitium nocti quod modo nauta dedit.
Quæro locum patulis lecto sub frondibus aptum,
Quæro vbi substernat graminis herba torum.
Dumq; ita syluestres lustro saltusq; pererro,
Captoq; nocturno dum loca tuta toro.
Luce sub obscura quam candida Luna ministrat,
Orta ferè pleno quæ fuit orbe modo.
Me capit haud multis via trita, nec obuia multis
Ad fontem de quo limpida currit aqua.
Quæ rapido circum campos se gurgite voluit,
Vnde fit in medijs Insula plana vadis.
Portitor accessum raris contingere dicit,
Quis locus? aut nomen quale sit? Ipse rogo
Sacra Poëtarum locus hic est insula, Musas
Et Danaum pulsas è regione tenet.
Dum loquitur Satyros sub amoena carmina quercu
Dicere, & alterno cerno salire pede.
Cerno Deos hirta gestant qui cornua fronte
Semideosq; capros semicaprosq; Deos.
Cerno verecundas & rustica numina Nymphas
Dicere Syluano cum patre metra suo.
Flumen ibi placidum, cygnorum corpora septem
Tollit Hyperborea candidiora niue.

Summe

Sume animum tutoq; accedas portitor inquit,
Si licuit tantum, plura licere puta.
Istricus (hunc genuisse suo nemoralis Iole
Danubio fertur Nympha) quis hospes adest?
Inquit, aberrantem syluis nocturna petentem
Ocia, sic ducit me via, dico pater.
Fata viam vati tibi monstrauere, Poësis
Dignus es ad sedes ire Poëta sacras,
Huc ades, & diuim nunquam morientia cerne
Nomina, & officium quale Poësis habet
Cernis ibi dicit quenquam? me cernere dico
Hoc satis est, reliquos vox mea monstret, ait
Diua sub intracta quæ stat cultissima lauro
Quam cernis, titulum diua Poësis habet.
Hæc regit imperio affectus, atq; ore gubernat
Quicquid in hoc vasto cernis inesse loco,
Et prodesse potest, & delectare, quod vnum
Ante alias diuas vendicat ista sibi.
Quæ iacet hanc circum florenti in gramine turba
Dicta Deæ calamo quæ properante rapit,
Turba Poëtarum est, studijs modo dedita rectis,
His Dea præceptum tale subinde refert,
Scripta bonis verbis rerum grauitate valere,
Et vitam iubeo moribus ire bonis.
Altera quæ libris Heroum facta recondit,
Et memor est seræ posteritatis ait.

C

Et

Et legere, & iubeo studioso condere versu
Histotiam, & fructu quem parit illa frui.
Ecce sub arbutis video æmula currere coeli
Signa, Mathematica dignaq; multa Schola.
Omnia monstrabo dicit, tu contine linguam,
Quin oculis iustra quæ tibi monstro tuis.
Qua nemus est dextrum, speluncaq; pumice pendens
Illic se Diuæ continuere duæ.
Altera, quæ fulgent spaciofo sydera coelo
Vtq; perunt ortus prona caduntq; notat.
Temporis illa vices seruat, nascentibus illa
Nunc bona pro fato nunc mala, rebus adest.
Altera, quicquid habent elementa capacia tractat
Præcipu, pingit terrea regna notis.
Qua situs Europæ tractus, quaq; insula Ponto
Quælibet exerta desuper extat humo.
Quaq; Asiæ maioris opes, Asiæq; minoris
Punicaq; immani terra Leone minax
Quoq; loco nuper latitantis America terræ
Ex inuentoris nomine dicta iacet.
Ast ea quæ læuum latus obtinet, inclyta clarum
Diua per eloquij munera nomen habet.
Subiacet huic orbis, namq; ingens machina rerum
Huic voluit soli sola subesse Deæ.
Huic sunt tercentum linguæ, sunt ora trecenta,
Resq; pio veras pectore semper amat.

Regula

Regula sermonis verax Dialectica veri
Hanc solet assiduis passibus vna sequi.
Inuidiam virtus comitem non effugit, illa
Quæ bona sunt damnat, quæ mala, laude vehit.
Est anus hanc mendax inflat persuasio fastu,
Nomen & ex auia garrulitatis habet.
Futilis huic monstro pater esse, Superbia mater
Dicitur, ad cuculi progenuisse sonos.
Phœbus in exilium blaterantem sæpius egit,
Vidi ego, sed miscet se tamen ille choro.
Hæc repit à tergo, dicens ludibria Diuæ,
Quæ multum eloquio sola fluente valet.
Quæ latet arborea Dea vix spectabilis vmbra
Quid sint, quid possint, quotue elementa docet.
Hæc studet ingenio rerum cognoscere causas,
Et quo naturæ tramite currat opus.
Adiacet huic Medicus quo noscat corpora nostra
Et vires discat rebus inesse suas.
Morbidaq; agnoscat generis contagia nostri,
Quæq; iuuant homines munera, quoq; modo.
Turba ministrorum Diuæ est coniuncta Poësi,
Dicere Pigmæos qui volet esse, licet,
Dactilus heroo velatus corpora cultu,
Cinctus adest galea, cinctus adestq; toga.
Pyrrichius celer & Choriambus & hinc Spondeus
Tu quoq; cum gemino fratre Trochæe tuo.

Cernis ibi manibus qui tela minaciã versat
Sanguineq; vlttricem linit Iambus acum,
Atq; alios quorum si dicam nomina noris,
Nam notat his varios syllaba quæq; pedes.
Astat ibi vario cultu sed corpore longo
Versus, habens vario nomina digna pede.
Astat ibi ingenioq; pio, cantuq; sagaci
Carmen, id emollit pectora dura sono.
Astat ridiculo sed honesto fabula cultu
Huic comes egregio dogmate mythos adest
Hæc facit humanis animalia vocibus uti
Bruta, nec elingues non finit illa loqui
Res ea proponit fictas & facta recenset
Ficta quidem, vero dogmate plena tamen.
Qui puer hac illac circum subineptulus errat
Hunc fouet, hunc grato corde Poësis amat
Syderibus genitus furor ille Poëticus esse
Dicitur, afflatum numine diua refert
Hunc regit officijq; monet, quæ Nympha decori
Curam agit, id cunctis rebus inesse iubet.
Latus vbi spacium campus se tendit in amplum
Culta rosis multos area magna tenet.
Sacra verecundo sedem premit Ethica gestu
Virtutum circa sancta corona sedet.
Namq; bonos mores hæc, & sanctissima tractat
Iura, colenstribuit quæ sua cuiq; Deam.

Afider exemplis vicij & virtutis abundans
Quæ plebis mores comica Nympha gerit
Magnorumq; ducum Regumq; Tragoedia circum
Exempla infani plena furoris agit
Est sacer & densa spectabilis arbore lucus
Mons vbi verticibus astra duobus adit.
Sunt ibi qui cytharis sanctissima carmina iungunt
Atq; ferunt sancto debira vota Deo.
Angelicas æquat voces dum carmine certat
Turba modo in laudes ingeniosa Dei.
Hæc satis est spectasse refert nocte Iltricus vna
Plura suo dicam tempore, plura loco.
Sic ait atq; viæ nunc hæc compendia carpe
Dicit, & ad portam me celer illa rapit
Ante mihi nunquam visus, visusq; deinde est
Nunquam, at quæ dixi nocte videre dedit.

Tu noue nunc specimen studiorum prome Poëta
Digna refer lauro carmina, digna loco.

M. HENRICI

ECARDI NORINBER-
GENSIS ORATI-
VNCVLA.



Prima sit æterno Patri, laus altera Musis,
Orta quòd ingruerit sæpe petita dies.
Dum præbens charis patulas monitoribus aures,
Deposco studij præmia certa mei.
Longum iter emensus, restant mihi multa viarum
Milia, dum reperam, conficienda, domum.
Quæ modicis, verum fatear quò, structa columnis,
Adiacet ad ripas paruule Vilsæ tuas.
Coniuge cum chara ludit qua paruulus infans,
Exoptans patrijs oscula ferre genis.
Nascere læta dies meliori sydere, Titan
Offer & inceptis prospera signa nouis.
Pierides vati placidè aspirate canenti,
Ferte, mihi largam, namq; potestis, opem.
Sunt dicenda mihi mentis restantia vires,
Carmina, quæ nutu docta cæterua prober.
Prima Deo pietas verum cum competat vni,
Ceu nos cum reliquis Biblia sacra docent.

Et

Et decet à nobis mos conseruetur ut idem,
Et multos fructus prosperitatis habet.
Ergo Davidis, nostris conuersa cæmenis,
Carmina, ceu testes, voce sonante canam.
Nempè quod hîc alij vena meliore, poësis,
In laudes, doctè quæ decuere, canant.
Insuper in nostris extent & multa libellis,
De Phæbo & Musis quæ monuisse queunt.
Sed quo vitatis longis ambagibus, ipsum
Propicijs Musis aggrediamur opus.
Vnanimes mecum Domino iam dicite grates,
Ipsius hic quotquot dextra benigna fouet.
Non unquam cessent gratæ pia numera linguæ,
Est quia mansuetus, nec bonitate caret.
Nunc genus Israël dicat, nunc cætus Aronis,
Prædiues Domini gratia, sine caret.
Et quicumq; Deum metuunt fateantur in æuum,
Ipsius immensa se bonitate frui.
Ergo malis quoties miserum fors dura fatigar,
Solicito summum supplice uoce Deum.
Nec sinit incassum tristes urgere querelas,
Sed quam uota petunt, fert miseratus opem.
Dum me dextra regat domini nocuisse, malignus
Nil poterit, tanto vindice tutus eo.
Me deus auxilio placidè iuuat inter & hostes,
Tutatur, vitæ spesq; salusq; meæ,

Victor

Victor vt hostili statuam de gente Triumphum,
Et vincam docta quoslibet arte dolos.
Quam sapienter agit Domino qui semper adhæret,
Quærit & ex illo non dubitanter opem.
A Domino speranda salus, nam præstat id vnus
Hic quod mille alij non potuere viri.
Omnes me populi cingunt hostilibus armis,
Quos sternam Domini nominis vsus ope.
Vndiq; circundant miserum, temereq; coarctant,
Sed Deus vt vincam suppeditabit opem,
Me circum volitant (vt apes) mala quæq; minantes,
Ne sibi collectæ surripiantur opes.
Incensos veluti properant extinguere sentes,
In me sic cursu præcipitante ruunt.
Labar vt in plano meditatur id impius vnum,
Ne iaceam, Domini vi potiore leuor,
Ast ego succidam pollenti robore fisos,
Diuini valida nominis vsus ope,
Vnica spes, robur, requies, dulcedo, voluptas
Est mihi, vel nutu qui regit astra, Deus.
Atria iustorum lætis concentibus implent
Cuncta manus, Domini dum celebratur opus.
Dextra potens Domini magna virtute triumphat.
Dextra Dei vincit, singula quæq; facit
Non moriar, verum vita comitante per æuum
Narrabo nostri facta stupenda Dei.

1081V
A Domi-

A domino placidis castigar sæpe flagellis,
Sed stygias nunquam cogor adire domos.
Iusticiæ referate vias, ut lætus in illas,
Ingressus Domino carmina digna canam.
Gratia multa Deo qui me prosternit, & auctum,
Vi solida rursus surgere posse facit.
Quem manus ædificans lapidem reprobauit, is vnus,
Vt caput, extructæ sustinet arcis opus.
Hoc Domini fecit manus, hanc mirantur agentem,
Excubias oculi qui uigilanter agunt.
Hæc est illa dies Dominus quam fecit, in illo
Cantemus læti carmina sancta Deo.
Adsis auxiliumq; feras moderator Olympi
Conseruet cæptum gratia diues opus.
Onimium foelix, cunctum benedictus in æuum,
Qui venit humanum saluet ut omne genus.
Linguae non cessant nostræ benedice uobis,
Estis qui Domini pars quotacunq; domus.
Eia agite vnanimis Domino iam dicite grates,
Ipsius hic quotquot dextra benigna fouer.
Hæc sunt Iessei de Psalmo verba prophetæ,
Hic nobis sacri meta laboris erit.
Hic inquam doctas solite dum calco cathedras,
Et cano confessus quæ decuere graues.
Nunc ego quod vates possim numerarier inter,
Obuelant quorum laurea ferta comas.

D

Æter

Æterno primum grates persoluo parenti.
Hoc Mundi cuius dextera finxit opus.
Quotidie & promus nobis alimenta ministrat,
Ne pereant dura languida membra fame.
Conseruat dulces, castissima Numina, Musas,
Ipsius ut laudes lingua perita sonet.
Vna non etenim tantum vult voce vocari,
Discretos linguæ comprobat ipse sonos.
Hic Latia secum, Graia sonet ille loquela,
Mirificum Patris cunctipotentis opus.
Vilia nec quisquam concessæ munera linguæ,
Forte putet, tantas neuè moretur opes.
Non ego crediderim facilè, maiora supremum,
Mortali lingua dona dedisse Deum.
Singula sed culto vellem si texere versu,
Pèligni vatis vena petenda foret.
Deinde ago deuotas submisso pectore grates,
Ferdnando, Cæsar qui regit orbis opes.
Sed satis, Aonias norim dum singula Musas
Tractasse, excusi ceu retulete libri.
Dico tibi ingentes, motu sed simplice, grates
Maxime de meritis Æmiliane tuis.
Maior Diuinas sincero pectore Musas,
Amplexus Princeps dum pius usq; foues.
Te Deus incolumem seros tueatur in annos,
Fortunet sceptri & singula queq; tui,

Dico

Dico etiam similes tibi prestantissime EDERE,
Doctor Pannoniæ lumen honorq; Scholæ
Quam dum defendis iustis feliciter ausis,
E terris nomen tollis in astra tuum.
Et ne quid desit vita comitante superstes
Carminè victuro teq; Scholamq; canam.
In patriam quando fato meliore reuersus,
Otia Vitai liberioris agam.

QVÆSTIO PROPOSITA

Domino M. Balsmanno.

Et te nunc quæro veteri de more Magister,
Cur sit Mercurio tradita virga Deo.
Quod si, ceu spero doctè, dissolueris, inter
Egregios poteris nomen habere viros.
Scilicet ut iuuenes docti meliora, Camænas,
Ardenti debent qua pietate colant.

RESPONSIO M. NATHANA-

ELIS BALSMANNI.

VT te concelebrem digno, doctissime, plectro
Non nunc suppeditat magnus Apollo mihi.
Non tibi tam dignæ cantantur carmine laudes,
Vt summas virtus postulat, ecce, tua.

D ij Viuida

Viuida nam virtus quid nam tentare grauat. Dico
Mentem equidem in nobis, ingeniumq; probat.
Sola beat virtus, solum facit illa beatum, Quam dicit
Sola dat æterna prosperitate frui. E tunc dicit
Cumq; gradus sit virtutis salebrosus eunti, E tunc dicit
Deterret multos asperitate sua. Carmine vult
Est equidem verum radix peramara videtur, In pariter
At fructus dulcis præmia magna tenet. Oris
Clarus non fuerit, qui iactat facta parentum,
Sed proprijs meritis qui sua dona tulit. Quod
Et seruare bonos, & doctis artibus artes
Iungere, id officium nobilitatis erit.
Hoc in consistunt tantæ præconia laudis, Et tunc
Peruigilat noctes, peruigilatq; dies. Cur in
Scilicet hic teneris linguam formauit ab annis, Quod
Naturam vincens sedulitate sua. Egregios
Has, inquam, Musas clarum te reddere constat Scilicet
Scribendi versus iudiciumq; tuum. Arbitrio
Vt felix igitur tibi sit, faustum, atq; salubre,
Confirmet summis, qui regit astra, Deus. R E
Hunc quoq; seruetis longinque tempore Musæ,
Vester enim cultor, uester alumnus erit. V
Tu quoq; Promotor doctas excolte per artes,
Inter præclaros non leue nomen habens. Non
Inter & egregios non vltima gloria ciues,
Quam decus ingenij contulit omnetibi. Non

Vive

Viue decus nostrum, Ecardo quod munera confers
Quæ nulla durant interitura die,
Tu quoq; læteris studijs clarissime Rector,
Semper erit meriti conscia fama tui.
Donec erunt Musæ, venerandæ Palladis artes,
Florebit magnum nomen in vrbe tuum.
Te Duce libertas studij se tollit in altum,
Duriter hæc longo tempore pressa fuit.
Te Duce nunc florent Musarum & Apollinis artes,
Tu semper doctos ipse foues gremio.
Quod restat nunc de virga paucissima fingam,
Qua uolucer peragit cælica iussa Deus.
Qua placat ventos, animas quoq; liberat Orco,
Ad Stygias aliæ quaq; feruntur aquas.
Hæc tibi sit certo doctæ facundia linguæ,
Hæc tibi sit sermo doctus ab ore fluens.
Sit nitidus, grauis, & purus, plenusq; leporis,
Hic sermo ingenium perpolit arte bonum.
Hoc etenim constant Magnatum regna diurna,
Hic mouet & colles, cordaq; dura mouet.
Hæc quoq; prescribit formas in rebus agendis,
Ne titubet blefo subdola lingua sono.
Non etiam in claros conuitia fundere possit
Vel sit in exitium garrula lingua suum.
Hic parte ex omni linguæ moderatur habenas,
Ne quenquam lædat friuola lingua virum.

Huc igitur cuncti Iuvenes accurrere læti,
Hinc spolia, hinc laudes nunc sibi quisq; ferat.
Hinc licet ingentem nobis auertere gazam.
Et decus æternis nobile temporibus.
Hæc tu suscipias syncero munera vultu,
Nam sic humanus, sic quoq; gratus eris.

CARMEN

A GEORGIO MIT-
KREVCH V. I.
DOCTORE

RECITA-

TVM.



NVper vt annali scandissem more sacratam,
Quam (Venus incoluit iam colir atq;) Paphon!
Eminus, Idæos (properis nam passibus ibam)
Conspexi Aônides quos coluere focos.
Occupat ossa tremor, Cælo nam mixta videri,
Fulmina fulguribus fulgura fulminibus.
Stelligerum vario turbari murmure Olympum,
Iratum sensi Nubicolamq; Iouem.

Æthera

Æthera conflictus pulsabant: ac uelut amnis,
Desuper immiti voluitur unda polo.
Æolus impositas ventis laxabat habenas,
Inq; vicem certant Africus atq; Notus.
Omnia fatalem sint cum minitata ruina
Iam nouus, aiebam, surgit in orbe status.
Subsisto, faciemq; poli nubescq; sonoras,
Miror propitios & minus esse Deos.
Attonitum Cytherea monet, verbis & amicis,
Compellat, roseo talia & ore refert.
Murmura quid coeli, quid fulgura tanta, quid undæ,
Quidue Noti signent ominis ista, rogas?
Pugna manet superum nunc tanta suborta senatu,
Cum ruerent Troiæ moenia, quanta fuit.
Iupiter ætherea conscendit in arce tribunal,
Et querulas Patris nunc capit aure preces.
Stat Iouis ante pedes Phoebus, Saturnus & ipse,
Iurgia miscentes, Actor hic, ille reus.
Falciger ex longo Laurum sibi vendicat usu,
Inuidet Eccardi Laurea ferta comis.
Ergo cælestem uelox properauit ad aulam,
Et dedit hæc flexo poplite dicta, senex.
Iupiter in cœlis qui iura tuere Deorum
Iupiter in terris qui quoq; iura colis.
Altitonans qui cuncta regis qui cuncta gubernas,
Iusticiæ Antistes Iusticiæq; parens.

In cunctis mea sit quæ nosti magna potestas,
Quod mihi sorte datum nec latet imperium,
Quod valuit, nostrum reddit diadema caducum,
Nos usucapio (lege volente) iuuat.
Non facinus nostras turpi res arte alienas,
Et scelus haud nostras Iupiter auget opes.
Nolumus artificii (prohibet status ista deorum,)
Res nostras variæ crescere fraudis ope.
Fas est iuridico fit quod Prætoris uolente,
Legitimum est fit quod iure cauente, meum.
Hactenus obscura requieuit laurus in umbra
Laurea non ullus ferta poëta tulit.
Astriacam nulus decoratus in urbe poëta est,
Tempora mortales dum meminisse sinunt.
Adde quod Austriacis non est mortalis in oris,
Semper qui Laurum delituisse neget.
Laurus Appollineo quondam sacrata triumpho,
Nunc mihi longæuo tempore parta manet.
Phebeos igitur prohibe pie Iupiter ausus,
Nec minui nostram tu patiare manum.
Laurigeram Phoebus nostram conferre coronam
Audet in Ecardum, lege uetante, suum.
Iura mihi multos tueor quæsitæ per annos,
Iupiter, hoc liceat te mihi dante, precor.
Iupiter ex scripto sententia iure ferenda est,
Fautor Cæcropij sis licet ipse gregis.

Phoebus

Phoebus ad hæc, hominūq; pater, pater atq; Deorū,
Nunc mea non ægre percipe verba, refert.
Nuper ut Ecchardus nostram uenisset in urbem,
Urbem quam rapidis alluit Hister aquis.
Continuò sacræ disiecto crine sorores,
Ecchardi seras condoluere uices.
Talia (Phoebe) ferunt Eccardus munere diuūm,
Dignus adest, Lauro dignus Apollo tua.
Sæpius hic docto Phoebeas carminelaudes,
Scripsit, Apollineas sæpe petiuit opes.
Laudibus inq; tuas (sic Pallade dante) Camænas,
Pronior Henricus noster alumnus, erat.
Laurigerum hunc decuit te pridem ornare Poëtam,
Qui canit Aönio facta stupenda pede.
Metra Sophocleo cuius succincta cothurno,
Cuius Hamadryadum carmina ab amne fluunt.
Noster hic Eccardus Phoebeo munere dignus,
Vnica Pierij spesq; decusq; chori.
Hunc nisi Phoebe tua sacra dignabere lauro,
Linquemus Clario templa dicata Deo.
Hæc fuit vnanimis Sardoa austerior herba,
Vox Helyconiadum, Dux ait Alme poli,
Hinc patet Eccardi cur Laurea ferta capillos,
Cur sua nunc circum tempora Laurus eat.
Vlla nec est quæ me præscriptio iure moretur,
Nam mora res usu non capit ulla sacras.

E

Laurus

Laurus sacra mihi Phoebō dignissima Laurus,
Laurus ab humano est res aliena statu.
Falciger in segetes grassatur fraude alienas,
Augeat & imperium uicq; doloq; suum.
Cynthius hæc: Postquam Phoebum potiora tueri,
Iura uidet summus Iupiter ille Deus.
Protinus immensis gratatur honoribus aucto,
Eccardo, votis annuit atq; suis.

DE EODEM POETA CAR-
MEN AD VIENNAM TV-
M VLT VARIVM

Qui postliminiò nuper reuocauit ab orco,
Austriaca Laurum primus in vrbe sacram.
Hic fuit Henricus Musarum cultor Ecardus,
Laurea qui dignus ferta Poëta gerit.

CAR-

CARMEN RE

CITATVM A PETRO A ROTIS

I.V.D. CVM M. HENRICVSE CAR.

DVS NORINBERGENSIS POE.

TICA LAVREA CORO-

NA RETVR.

Quamuis sim studio sacri dicatus
Iuris, me sibi vendicetq; legum
Disciplina, tamen seueriore
Musa seposita, iuuat poësis
Interdum sacra, recreatq; mentem,
Et curas animo leuat grauato.
Maiestas igitur, decusq; Musis
Cum rursus redijt, nitorq; honorq;
Quin grates referant pijs patronis
Quorum subsidio viget Poësis,
Non possunt cohiberier Phaleuci
Versus, Maxmilianus Imperator
Quem virtus merito locauit altra
Inter summa, sciens quod omne punctum
Ferrent vtilibus suaue docti
Commiscere, sacros honore Vates
Ornandos voluit, suiq; CELTAE
Daphneam caput impedire Laurum

E ij

Iussit

Iussit nam socios Apollinares,
Quos sacri calor vrget ignis, æquè
Phoebæa reputauit esse dignos
Lauro, Quin etiam pius futuris
Princeps munera contulit Poëtis,
Testantur sacra priuilegiorum
Hic diplomata quæ reliquit olim,
Sed raros habuit prius Poëtæ
Seclum, Vix etenim putatur vsus
Quisquam Principis optimi fauore,
Porro prouidus Vniuersitatis
Huius Rector, opes perire tantas
Ultra non patitur, videt redisse
Tempus, quo Maro floruit, sacriq;
Decantator amoris ille Naso
Quocirca literas diu sepultas
In lucem reuocat, petitq; iussu
Confirmariæ optimi parentis,
Qui nunc scepra tenet regenda mundi,
Vt dignis sacra ritè conferantur,
Posthac dona viris, nec ambigendum est,
Quin Cæsar faciat quod est rogatus.
Nam Cæsar literas amat, fouetq;
Et Cæsar colit euehitq; doctos,
Fecerunt prius eius id parentes,
Id nati faciunt eum sequentes,

Nam

Nam Rex Æmilius genus Bohemum
Qui sceptro regit optimus paterno,
Ægrotante pio parente, solus
Qui curas patris & graues labores
Sustentat, celebrem sacro poëtæ
Hanc pompam voluit scholæ frequentis,
Ne res ludicra crederetur esse,
Magnorum fieri Virûm Poetam
Clarum iudicio, Pius (secundum
Patrem qui regit orbis Vniuersi
Nutu perpetuo sacroq; molem)
Grates Maxmilianus Imperator
Primas promeritus videtur, inde
Vasti Gloria Ferdinandus orbis,
Et tu Maxmiliane Ferdinandi
Fili Cæsaris, Archidux, Paterq;
Ter foelix patriæ, tuæq; gentis,
Dum stabunt literæ, fluentq; vatum
Venæ, vester honos decusq; stabit,
Nam nullus nisi gratus est Poeta,
Nec te, nec tua facta, nec labores
Quos pro Gymnasio subis molestos,
Rector Magne, scholæ paterq; nostræ.
Vatum carmina docta præteribunt,
Semper perge sacros fouere vates,
Hi vitam tribuunt suis patronis,

Lauro

Lauro cinctelacra caput Poëta,
Inter præcipuos Ecarde vates
Quos Germania fert habende semper,
Autores volui celebritatis
Quæ decreta tibi est referre versu,
Ut scires quibus ociosus olim
Grates carminibus tuis referres.

EIVSDEM ALIVD A
puero recitatum.

Iam situm ponet Lyra, Barbitosq;
Grata iam rursus chelys audietur
Iam fides plectri graciles sonori

Tendet Apollo

Nam suum Musis literisq; cultum
Imperatores reuocant Quirini
In sacros aptè sua collocando

Præmia vates,

Seculum felix viget aureumq;
Nam Patronorum satis & Maronum
Austriæ tellus habet vna, plures

Semper & addit,

Faxit æternæ Deus autor arcis
Ut Viennensis schola iam propaget
Quas fouet sanctè literas, tenore

Semper eodem,

IN

IN ACTVM PO
ETICVM HENRICI ECARDI
NORIBERGENSIS AMICI
SVI OPTIMI CARMEN

GRATVLA-
TORIVM.



Scriptum & recitatum à M. Hiero-
nymo Lauterbachio.

CVra fuere Ducum quondam Regumq; poëtae
Cum suis ingenuis artibus esset honor.
Quas non diuitias? quos non accepit honores?
Ornavit scriptis qui pia facta libris.
Et nunc quis dicer castas frigere Camoenas,
Contemptæ quamuis delituere diu?
Præmia quanta sacros maneant hoc tempore Vates,
Vel satis exemplo lux hodierna docet.
Restaurat Cæsar FERDINANDVS Apollinis artes,
Restaurat Vatum præmia digna choro.
MAXIMVS instituit quos AMILIANVS honores,
Hos iterum gaudet vatibus ipse dari.
Huc omnem confers quoq; Maxmilianæ laborem,
O similis proavo nomine reg; tuo.

Sceptra

Sceptra Bohæma tua qui dum virtute gubernas,
Auxilio Musas consilioq; iuuas.
Sic coluere sacras semper, pia numina, Musas,
Quos tulit Austriadum splendida terra Duces.
Hos igitur grati merito celebremus honore,
Quorum nulla ætas non memor esse potest.
Tu quoq; Gymnasij celeberrime Rector E D E R E
Æterno semper nomine dignus eris.
Herculeos nostra pro libertate labores,
Quod perfers, tanti quam tribuere Duces.
Quodq; nouem sub te Phoebus reuocasse sorores,
Fertur, & antiquos instituisse choros,
Vt repetant dulces consueto carmine cantus,
Hactenus in multos quæ tacuere dies.
Pieridumq; chorum, Nymphas, Dryadesq; puellas,
Nectere quis dubitat Laurea ferta manu?
Errantes miscent hederas pulchrosq; Hyacinthos,
Quos foecunda suo tempore terra fouet.
Vt capiant omnes sua præmia digna labore,
Qui pectus studijs excoluere bonis.
Palladiæ nunquam virtuti præmia deérunt,
Præclaras artes sponte sequetur honos.
Hoc docti & celebres passim sensere Poætæ,
Senserunt alij conspicuiq; viri.
Qui vel doctrina vel qualibet arte probati,
Ingenij tandem dona tulere sui.

Hoc

Hoc quoq; senferunt naturæ arcana docentes,
Quiq; Poëtarum scripta sacrata colunt.
Vel qui scrutantur motus & sydera coeli,
Vel Sophiæ campus quæ spaciosus habet.
Terra eadem ueluti pariter non omnia profert
Plusue minusue alio res venit una loco.
Nam locus hic prodest frumento, vitibus alter,
Aptus & hic pecudum pascua ferre gregi.
Hoc sterili consurgit humo, hoc in pinguibus aruis,
Hoc semen ualles, hoc iuga montis amat.
Sic quoq; non studio cuncti capiuntur eodem
Ingenij sequitur semina quisq; sui,
Et sua quo tendit natura reducit alumnum,
Asuetaq; frui quemlibet arte finit.
At tu qui sequeris castas Eccarde Camoenas,
Pro studijs merito præmia digna capis.
Dum caput ex lauri contexta fronde Corona,
Ornari iussit pulcher Apollo tuum.
Quam quondam CELTES circū sua tempora Vates
Gessit, & hoc nutu Maxmiliæ tuo.
Gratulor ipse tibi primum patriæq; tuisq;
Cognatis, nostræ gratulor inde scholæ.
Perge bonis auibus doctas celebrare Camoenas,
Sic tua perpetuo fama perennis erit.

F

IN

IN LAUDEM

CELEBERRIMI GYMNASII VIENNENSIS

CARMEN.

Stimulis animum quandoq; vocatus Apollo
Impulit, ac iustas tenuerunt carmina vires.
Nunc decet ingenium, magna nunc arte canendum;
Illustris celebros dum culta Lycæa Viennæ.


Mens vaga laudatas percurrit Teutonis oras;
Tecta sacris latè vestigans hospita Musis:
Tutior haud requies, gressum quâ sistere detur;
Austriacam præter sedem, quæ fouit honore
Insolito, excelsum perdocto carmine Celten.
Excolit hæc gemini præstantes iuris alumnos,
Inuentum Phæbi medicas hæc prouehit artes
De mundi; Autore Deo sacra dogmata tractat,
Et sophiæ integro curat data corda labori.
Has supra laudes, maiusq; & sanctius illud
Vendicat vna sibi diuinos iungere vates:
Vates Diuorum legatos, semina coelo
Qui ducunt, tacitoq; afflati numine corda,
Res(mirum) immensas voluunt, miranda reperta:
Hos natura parit, socia poliuntur ab arte,

Emollitq;

Emollitq; vsus, celebres imitatio fingit.
Doctrinae abstrusum genus omne elucet in illis,
Præcipuoq; Dei nutu capita ardua tollunt.
Ac veluti ipsorum natiua scientia cunctos
Exuperat victrix, sic immortale decorum
Fronde triumphali tantos Heröas adornat.
Idcirco ante alias longé foeliciores vrbes
Magna Vienna viges, & magna Vienna vigebis
Dum steterit tellus dum, circumfertur Olympus,
Nominis ampla tui per doctas fama poëtas
Augetur, duplicatur honos, claret tua virtus,
Qua recipit fessum solem, quae altera mittit
Blandior Oceani domus. O venerabile nomen,
Et sanctum vatis studium, perge inclyta perge,
Vosq; viri quorum penes est Academia curam,
Vos Phoebi cætus animo seruate fauenti
Omnis in hoc Regum stetit olim cura potentum.
His, dignos laude Heröas, datur addere Diuis
Indignosq; neci horrendæ, & decernere diris.
Non leue carmen opus, Deus hoc Deus intulit orbi.
Hebrææ gentis cum corniger induperator
Purpurei Oceani diuisas transijt vndas
Percitus afflatu insueto, pro laude supremi
Vindicis, Hexametros cecinit certissimus autor,
Hinc superas cithara Dauides personat auras,
Inde poëtarum munus gessere prophetæ,

Quodq; sacerdotum nunc est, erat ante poëtae,
Mox quoq; Threicius longa cum veste sacerdos
Effundit Phœbi numeros: Sectatur Homerus,
Et pater Ascraeus dulci plectro vtile miscens.
Describere suis illi quæcunq; Camænis,
Omnia adhuc nostrum memorantur viua per æuū.
Ergo Vienna tuum simili ratione Lycaum
Florescet, viuumq; in secula longa resurget.
Nil curare piger doctorum carmina vatum.
Surgere iam video, video iam surgere in altum
Hoc sub Musarum præclaro Antistite Edero,
Ornamenta suis tibi qui virtutibus addit
Qualia sol radijs, Lunæ atq; minoribus astris.
Elias Coruinus Ioachimicus.

ELEGIA GRA-
TVLATORIA SCRIPTA DOC-
TISSIMO POETÆ DOMINO HEN-
RICO ECARDO ACCIPI-
ENTI LAVREAM
Poëticam.


Lutea flammiferos produxit Diua iugales,
Exoritur celebri plena decore dies.

Conuenit

Conuenit hac, læto gratari corde sodali,
Qui vice Theseæ fœdera nostra colit.
Cuius in aduersis doleo, lætorq; secundis,
Grandia cui duplico, tristia parte leuo.
Aggredere ô magnos, iam iam lux poscit, honores
Nate Deo vatum, Pallade nate Dea.
Aspice mater ouans, citharâq; sonorus Apollo,
Prædunt doctis laurea ferta comis.
Te præses clarius Nympha Parnaside donat,
Quæ viget æternos fronde virente dies.
Vt viget, & nunquam folijs spoliata caducis,
Nec percussa graui, fulminis igne, cadit.
Sic tibi cum multo nomen florebit honore,
Nec famam flammis liuor aduret edax.
Ecce decus Celtis datur immortale Poëtæ,
Prima Viennensis lux erat ille scholæ.
Primus Germanis Lauro exornatur in oris,
Tertius Imperium dum Fridericus habet.
Qualiter ipse virum superat iam docta per ora,
Sic manet ingenium gloria viua tuum.
Nunc stantem bifido Parnasi vertice spectro
Mirari, tantas te superasse vias.
Aônas in montes ductus miratur vt ipse
Gallus, inaccessis culmina victa iugis.
Cum blandis choreas video te ducere Musis
Lætitiæ Pæan dicere pignus Io.

En tibi

En tibi se gemina Parnasus fronte recludit,
Iure voluptatum nunc datur hora frui.
Altera pars Phoebus colitur, qui gaudia coelo,
Conciliat, magnos dum canit ante Deos.
Hæc tibi materiam quæ sunt coelestia pandit,
Quidquid agunt Diui, quicquid Olympus agit.
Altera sed rupes Bacho sacrata, per ipsam
Mundi delicias inferioris habes.
Iunge age doctiloquis iam neruis carmina iunge,
Fer quicquid coelo, quicquid & extat humo.
Mox ita cum magno Nasone sacroq; Tibullo,
Et vatum serie commemorandus eris.
Gratulor ergo tibi communem propter amorem,
Ac vitæ & studijs prospera fata precor.
Te Deus incolumen patrium deducat in orbem,
Gaudia det sancti visere salua thori.
Fida marita ferens communi è sanguine prolem,
Corda gerens thalamo Penelopæa tuo.
Occurret, blandisq; hilarem complexa lacertis,
Cum nato, lacrymas concita amore dabit.
Hæc vbi contigerint, lætusq; per ocia viues,
Hæc prædicentis commeminisse decet.
Non unquam fidei subeant obliuia nostræ.
In geminis maneat partibus vnus amor.
Elias Coruinus Ioachimicus

ELEGIA

ELEGIA GRA-
TULATORIA DIONYSII
PYCLERI IGLA-
VIENSIS.



Ab eodem recitata,
CVM IN FREQUENTISSIMO,
MAGNIFICORVM ET DOCTORVM
VIRORVM CONSESSV. M. HEN-
ricus Ecardus Norimbergensis S.
Imperatoriae Mtis. nomine,
Poëtica Laurea co-
ronaretur.

DVm fauet iste tuo celebris confessus honori,
O bifidi summum montis Ecarde decus.
Quis tua non tantis coniungat vota patronis.
Præmia qui studijs, ampla dedere tuis.
Nam tua Phœbea cinxerunt tempora lauro,
Debetur laurus vatibus illas Sacris.
Imag; Thespiadum referarunt sacra Dearum,
Quæ tibi sunt pura deinde ferenda manu.

Gratulor

Gratulor ergo tuo, quis non grate tur? honori,
Quo magis hoc dudum nomine dignus eras.
Gratulor Austriacis quod docte Poëta sub oris,
Aöniij capias præmia iusta chori.
Gratulor & nostris, quæ laus est maxima, Musis,
Quæ ripas habitant Ister amoene tuas.
Quod sua Pannonias diuulgent sacra per oras,
Atq; datum nolint deseruisse locum.
Quis neget à Getico Musas fugisse Tyranno,
Et modo Germanas incoluisse domos?
Hic habitare Deas Parnassi sede relicta,
Phocidis huc illas sacra tulisse pater.
Nec modo iam Tyberis Rheni defluxit in vndas,
Græcia sed nostris associatur agris.
Hellas si Musis foecunda superbijt olim,
Ingenijs fuerit culta quod illa suis.
Ingenijs merito tellus Germana triumphet,
Et simul Ausonij gestiat ora soli.
Græcia crudeli miserè est oppressa Tyranno,
Et nihil antiquæ nobilitatis habet.
Iussit & eiectas aliò migrare Camoenas,
Ne Scythici subeant ora superba Ducis.
Ergo Getam fugerent cum numina sacra minacem,
Omnia qui sæuo diripit ense ferox.
Mænaliij propius subiere Lycaonis vrsam,
Hicq; sibi sedes constituere suas.

Rhoda-

Rhodanus & Tyberis, spumans iã Rhenus & Ister,
Hasq; suo gremio Sarmatis ora fouer,
Iamq; Pyreneo Parnasi culmina mutant,
Alpino gaudent proq; Helicone iugo.
Cœruleas Istri properé labentis & undas,
Castalij fontis præposuère sacris.
His dedit vmbroso certam sub regmine sedem,
Hic vbi cœruleis confluit Ister aquis.
Has domus Austriadum longo iam tempore fouit,
Magnorum bonitas ò memoranda Ducum.
Iamq; caput domito Cæsar Ferdnandus in orbe,
Musarum studijs præmia certa dabit.
Præmia proposuit cultoribus ampla Dearum,
Ornent quæ iuuenum laurea ferta comas.
Tempus erit dextrè currentibus ordine fati
Stent modo promissis fidera fausta suis.
Quo Danaas iterum Musas inducat in oras
Austriacæ magnus Duxq; paterq; domus.
Hisq; suos fontes, his Pindi culmina reddat.
Et sacra quæ quondam Phocidis ora dedit.
Germana rigido rursus virtute Tyranno,
Caucasei pulso montis ad usq; latus.
Incolat Hyrcani patrias ut littoris oras,
Extra nec Scythicas proruat inde casus.
Tempora tunc placidæ fœlicia pacis agemus,
Cum patria Musis deinde redibit honos.

G

Tunc

Tunc studijs iterum tellus florebit Achium,
Viderit Aönias cum rediisse Deas.
Nil adeò tantum, nostro nec Iuppiter orbi,
Aetherea maius munus ab arce dedit.
Dona nouenarum quam non peritura sororum,
Mnymosine genuit quas genitrice Deas.
Hinc fera Ripheæ mitescunt pectora gentis,
Atq; animi posita uis feritate colunt.
Hinc & terrestri uitiorum mole relicta,
Virtutis studio seq; suosq; dicant.
Altius inde pios tollunt ad sidera vultus,
Lumina per formas effigiata notant.
Quo sibi iungantur radiantia sidera motu,
Hæc spacio quanti disita sintq; loci.
Et reliquas discunt per quas mitescimus artes,
Ac colimus recta iusq; piumq; fide.
Barbara sic quondam tellus Germanica dicta,
Hæc modo deposito quanta rigore niter.
Dumq; colit Musas, a Musis culta uicissim,
Ingenijs vere fertilis esse potest.
Ergo quod Austriaca tibi laurea detur in urbe,
Gratulor à docta vir memorande cheli.
Has tua promeruit dudum solertia laudes,
Maxima namq; tibi cura Poësis erat.
Quæ reliquas quanto superat præstantior artes,
Hoc est maiori munere digna coli.

Nam

Nam sedet hæc medias inter regina Camœnas,
Artibus a reliquis undiq; cincta sedet.
Atq; ministrorum magna stipante caterua,
Pectora iucundis mulcet amica sonis.
Hæc docet & adytis rerum desumpta parentis,
Narrat & historica gesta stupenda fide.
Et varia dulces occultat imagine sensus,
Doctis inuoluens seria scripta iocis.
Attrahit illa sui mentes dulcedine cantus,
Nobile dum docto carmine condit opus.
Ac velut ingrata si quis fastidiat escam.
Cum bene conditur gratior esse solet.
Sic variè sua scripta solet condire Poësis,
Ut capiat quosuis semper amore sui.
Ornatu superat facundum Rhetora docto,
Nam sibi quæ liceant plura Poësis habet.
Seria fabellis miscet præcepta iocosis
Dulcibus ut moueat quoslibet illa sonis.
Nonne feras Orpheus fertur traxisse canendo,
Atq; sua montes sollicitasse lyra?
Nonne Linus mentes dum carmine flectit agrestes,
Progenitus magno dicitur esse Deo?
Ergo sui celebres cantus dulcedine vates,
Iure quidem niuei nomen oloris habent.
Candidus hic pennis, sed pectore candidus ille,
Musis & Phœbo dictus vterq; sacer.

Gaudet aquis Cygnus, florenti gramine gaudet,
Sic vates syluis docta Thalia dicat.
Temperat & placido iucundas gutture voces
Tempus olor fati cum scit adesse sui.
Sidera cantantes feriunt sic celsa Poëtae
Extremi rigidum temporis ante diem.
Voce sua resonant per vastæ clymata terræ,
Famaq; post cineres non peritura manet.
Et nisi stridentes spirando Fauonius auras,
Mulceat, elinguis conticet albus olor.
Sic nisi clementis spirauerit aura fauoris,
Continuo vatium turba canora silet.
Nam rigidus Boreas liquidas distemperat auras,
Iucundum cygni rumpit & ille melos.
Sepe tacet cygnus dum garrulus obstrepit anser,
Turpia dumq; loquax graculus ora quatit.
Dissidet ipse color, vox dissidet ipsa, canorus
Candida Cygnus auis, graculus atra, loquax.
At tibi dum clemens Henrice Fauonius adflat,
Iam tua doctiloquis guttura pande sonis.
Cæsaris hosce fauor tibi dum decernit honores,
Cæfarei prece nominis esse stude.
Iste tuam celebrat laurum clarissimus ordo,
Hunc quoq; carminibus fac celebrato tuis.
Indicat hoc dignum te Rector EDERVS honore,
Pieridum præsto natus adesse choro.

Ille

Ille sacras quanto defendit pectore Musas,
Rursus ab his tanto munere dignus erit.
Solutus is Aōnij nunc est reparator honoris,
Dignus ut antiquos clareat inter auos.
Quam multa virides ornantur arundine fossæ,
Florida quam multo germinat Hybla thymo.
Rorida quam multas uox stillat ab æthere guttas,
Dum regit opposito cardine Phoebus equos.
Ille tot Aonia pro libertate labores,
Sustinet ò animi magna gerentis opus.
Hic tibi iam magnus præfens applaudit EDERVS
Maxima Iuridicæ lausq; decusq; scholæ.
Teq; nouo gaudet studiosa corona Poëta,
Et cupido laurum prædicat ore tuam.
Gratulor ergo tibi merito doctissime vates,
Gratatur nitido Phoebus in orbe tibi.
Istri colæ alterno gratantur carmine Musæ,
Cumq; neget tempus dicere plura vetant.

CARMEN SCRIP- TVM ET RECITATVM

à Vito Iacobæo No-
ribergensi.

CVM sit Apollineis laurus sacrata Poëtis,
Heroum qui facta canant, victuraq; pangant

Carmina, perpetuos quæ nescia mortis in an nos
Cum lauro vireant, atq; inter funera uiuant.
Laurea fatidicis debetur iure Poëtis
Qui, sua dum toti commendant nomina mundo,
Exosi tenebras sub aperta luce morantur.
Ergo nouenarum cum sis Eccarde sororum
Gloria, Pegasei custos & fontis alumnus,
En tua cinguntur Peneide tempora lauro.
Et merito patriæ tibi nomine gratulor, ambos
Quæ nos Musarum studijs addixit honestis,
Nosq; suas uoluit Musis extendere laudes.
O deus eximium suprema laude uehendum,
Quando Magistratus ope defenduntur, & artes
Ingenuæ crescunt, neq; uulgo ludibrio sunt.
O nimium felix respublica tanta, Senatus
Cuius agit curam, crescant ut Apollinis artes,
Plantat, alit, miseris & recta dat hospita Musis,
Atq; ope Musarum caput inter sidera condit.
Exulibus quoties studijs succurrere uisa est,
Vndiq; dum doctos homines collegit, & inter
Arma, suas fouit summa cum laude camænas,
Et doctis uoluit se commendare Poëtis,
Fex idiotarum quas aspernatur, & artes
Pro nihilo ducit, contemnit, & insuper audet
Viq; dolo, per fasq; nefas euertere Musas.
Vrbs ea tam spretas defendit, & asserit artes.

Est

Est ideo doctis **E O B A N I** versibus **H E S S I**
Illustrata satis, tanto nec honore carebit
Dum sua latiuago dederit sol lumina mundo.
Gratulor hinc igitur, quod te sit adepta Poëtam,
Cuius Apollineo coma sit circumdata serro,
In patriæ fundas ut digna Poëmata laudem.
Et tibi præcipue communi nomine Rector
Gratulor, insignis tua quod prudentia leges
Musarum reuocet, quæ iuraq; pressa iacent ui.
Primus es, imperio sub cuius laurea dentur
Nomine Cæsareo diuinis ferta poëtis.
Te penes est nostri custodia tota Lycæi,
Hac neq; diminui pateris, quin insuper auges;
Atq; agis excubias, ne forte prematur ab ullis,
Et curas sit ut hæc Academia clara Poëtis.
Est tua Mœonio dignissima carmine virtus,
Et maiora meæ dederint si tempora uitæ
Quæ sua lanificæ dispensant fata Sorores:
Maior et extensis ætas accreuerit annis.
Et mihi maiores fuerint in carmine vires.
Te celebrabo meis ita Doctor **E D E R E** camoenis
Vt tua carminibus uiuat post funeta virtus.
Et scio quod mea sit tibi grata futura voluntas,
Interea totum tibi me commendo clientem,
Et rogo ne meritos hos auerferis honores.

GRATI-

GRATIARVM

ACTIO P. FABRICH POST

ACTVM ABSOLVTVM

RECITATA.

Qui sine principio Deus es sine fine manebis,
Iusticiaq; tuos perpetuoq; regis.

Quiq; facis rapida vertigine currere coelos,

Quiq; Dei titulum trinus & unus habes.

Nostra tibi dicunt Deus optime carmina grates,

Proq; tuis donis debita uota ferunt.

Nos te submisso Deus optime corde precamur,

Quando eget auxilio nostra querela tuo.

Nos rege nosq; tui propter tot vulnera Christi,

Numinis afflatu non sine egere tui.

Id tibi nostra pio conformet pectora motu,

Teq; colant qua tu uis pietate coli.

Frangere potestatem Turcæ castra horrida frange,

Horribilesq; acies terribilesq; minas.

Et caput excelsum Ferdnandi Cæsaris orna,

Illum te nobis namq; dedisse liquet.

Frangere potestatem multorum, perfida Turcæ

Qui metuunt tanto Cæsare castra sequi.

Orbis honor donumq; tuū, qui tempore duro est,

Delitiumq; hominum delitiumq; patris,

Maximi

Maximilianus agat uitam cum coniuge foelix,
Cumq; alijs foelix regna Boëma regat.
Carolus ingenio præcellens diuitem, uitam
Da cum Ferdnando fratre beatus agat.
Donaq; da sapiens uitæ quæ commoda nostræ,
Esse tua nosti pro bonitate Deus.
Quod superest agimus grates hoc tempore, uestris
Dum dent officijs nostra deinde uices.
Quilibet oro boni præsentem consulat actum,
Tuq; pater nostræ Rector EDERE scholæ.

V V O L F G A N
G V S L A Z I V S M E D I C V S I N V I
C T I S S : R O M : I M P E R A T O R I S C O N
S I L I A R I V S E T H I S T O R I C V S C L A

R I S S I M O P O E T E L A V R E A T O

Henrico Ecardo Norinber-
genſi amico colendo.

S. M. D.

C V I U S a m i c i t i æ n u l l u s f u i t h a c t e n u s u ſ u s ,
Hanc volui ſcripto ſollicitare tamen.
In quo ſi tardam, hanc tamen à me ſume ſalutem,
Et tibi ſeruatae munus amicitiae.

H

Quam

Quam (doleo) nullo tibi declarasse fauoris,
Signo, cum caperes præmia digna tuis.
Præmia digna tuis, Sanctæ & sudoribus artis,
Ingenio ostendens uim super esse tuo.
Forfitan hanc videor tardè excusare querelam,
Nec tulerim laudi carmina digna tuæ.
Est equidem peccatum à me cogorq; fateri,
Ignorantis eum (si modo culpa fuit)
Actum, quem doleo primum accepisse diebus,
Lapsus heri, uel qui proximus inde fuit.
Pro curis igitur surgat quod gloria sumptis,
Ingenij æterni quam tibi præstat honor.
Gratulor ex animo, ac ea sis quod adeptus honoris,
Quæ pridem poteras dona referre schola.
Dona referre schola Graiæ coluere Camenæ,
Quamq; ferunt Pyndi constituisse iugis.
Qui Medico est uobisq; Deus communis Apollo,
Quiq; colunt doctis sydera clara poli.
Is licet (unde tenes præclarum Eccarde fauorem,
Numinis ac hodie est lata corona tibi)
Dilectam irriguis Daphnem sacrarit in oris,
Cæperit & fructum ex arbore (laurus erat)
Nunc tamen ista premunt hostes fideiq; trucesq;
Quæq; Deus patribus tunc loca sacra dedit.
Vnde puto Romam pulsas abijisse per æquor,
Quis multo Oenotria ex tempore culta fuit.
Tempo.

Tempore culta fuit pariter Germania foelix,
Artibus innumeris lumina clara ferens.
Fæcunda ingenij cui cedit & Itala tellus,
Hellas qua pariter uincitur ingenijs.
Rhabanus, Hermoldus, Lygur, ante & secula vates,
Plura docent strictum qui tenuere sonum.
Quos inter Celtes Phæbeo dignus amore,
Primus honorem artis, laurea ferta tulit.
Laurea ferta tulit tibi quæ modo Maximus orbis
Ferdnandus, merito Rector habere dedit.
Et quibus adsensit princeps & maximus alti.
Musarum Aemilius anchora sancta chori.
Anchora sancta chori in quo nunc super eminet omnes
Carmina Fabricius qui polit arte bona.
Qui Mundi cælique uias & sydera nouit,
Qui tulit & capiti premia digna tuo.
Dij vobis faciles hodie quæ cuncta dederunt,
Auspitijs profint uberiora tuis.
Det pariter Christus sic incrementa salutis,
Qui poterit meritas reddere solus opes.
Et tibi Pegafides blandissima carmina dicent,
Et sis Castalios dignus adire lacus.
Siue uelis stricte seu dicere verba solute,
Sepe lepos, veniat gratus ab ore tuo.
Interea indocti spernas ne uota Poëtæ,
Iuditio admittens cuncta subesse tuo.

Officio partim & tibi quæ transmittit amice,
Culta minus (tempus causa laboris erat
Quo raptus studijs loca uallis amæna reliquit,
Castalij sacras nec bibit amnis aquas)
Ut tamen hæc reperam, cupio condicere coenam
Te mihi cum verso Phoebus ab orbe redit.
Utq; velis Lauterbachum (rogo) corporis umbram,
Ducere quiq; dedit laurea ferta Fabrum.
Sed tua nunc cursus teneat fortuna perennes,
Nestoreum semper tempus adusque uolo.
Ut tibi non cesso nunquam non fausta precari,
Sic tibi contingant plura sed esse volo.
Quæ nunc exciderant tu carmina fronte serena
Excipe, tu mendam corrige si qua subest.

MAGNIFICO
VIROD. PHILIPPO GVNDELIO
I. V. DOCTORI CAESARIS
CONSILIARIO, PATRONO
SVO OPTI. FABRI-
cius S.

INGENIO & sanctis virtutibus aucte Patrone,
Nostra quidem maiora tibi debere fatetur
Musa, nec id tacito non dudum pectore voluit

Attamen

Attamen haud ipsum finit hic occasio prorsus
Non meminisse tui, nam curto dicere versu
Debit illa tibi grates, quod pondere rerum
Tantarum oppressus (quas dat tibi Cæsaris aula
Et sacrae studium pietatis) in has quoque partes
Te reuerende senex confers & crescere Musas
Non tantum gaudes, sed mittere munera vati
Qui modo iam cinxit phœbea tempora lauro
Dignaris. Deus ipse tibi tua dona rependet
Multoties & digna dabunt tibi præmia Musæ.

EXIMIO IURIS DOCTORID.

Alexandro Libhardo nuptias
celebranti Fabricius.

S. D.

Sic tibi Cæsarei Iuris dignissime Doctor
Sydere foelici cuncta Libharde fluant
Sic tibi coniugij foelicia foedera cedant,
Dignus ut es multa prosperitate frui.
Sic tibi perpetuo faueat fortuna fauore,
Hoc sanctum vitæ debet ut esse genus.
Cetera cum teneas fortunæ munera, fias
Vt pater egregia prole Libharde precor.

H iij

MAG.

MAGNIFICO VIRO DOMINO

GEORGIO EDERO CAESA-

ris consiliario Rectori gymnasij

Viennensis patrono suo

obser: Fabricius.

S. D.

Multa diuq; tuli furijs patientia victa est,
Cede verecundo pectore, cede timor.
Publica libertas querenda est iure, repellam,
Quæ me non puduit ferre, tulisse pudet.
Tu qui magnificum gestas Rectoris honorem,
Quiq; honor es nostræ summus Edere scholæ.
Tu precor in tanta quod iustum est respice causa,
Subdita iustitiæ est nostra querela tuæ.
Iusta peto grauius læsus, da iusta petenti,
Præmia sint iustis te duce, poena malis.
Sic tibi victuro dicemus carmine grates,
Officij viuent sic benefacta tui.
Semper enim nomenq; tuum laudesq; manere
Credito, dum vates scriptaq; vatis erunt.
Otia carmen amat turbantes otia puni,
Sæpe diuq; malos sæpe diuq; preme.

MAG.

MAGNIFICO VIRO DOMINO

FRANCISCO EMERICO SA-

crae Cæsareæ Mâtis. Consiliario

Medicinæ Doctore & pro-

fessori &c. Præcepto-

ri suo obseruan-

disimo.

M. Hieronymus Lauterbachius.

Est virtutis opus Musis & Apolline dignum,

Ex imo doctos tollere ad alta viros,

Quem meruere suo ne defraudentur honore,

Digna sed ut duro dona labore ferant.

Sic laus virtuti nunquam moritura redibit

Sic sua Castalijs fama deabus erit.

Attu Pieridum non vltima cura sororum,

Qui nostram medica dirigit arte scholam.

Dum capit Eccardus circum sua tempora laurum,

Quod vati confers munera digna nouo,

Quodq; ipsum es summo præfens dignatus honore,

Dum placidis ornas prandia docta iocis,

Quas tibi pro meritis dicemus carmine grates,

Non opis est nostræ tanta referre tibi.

Hinc igitur maneat te gloria uera per æuum,

Hinc tua sit Christi plena fauore domus.

H iij

EXCEL

EXCELLENTI VIRTUTE ET
ERVDITIONE VIRO DOMI-

no Georgio Muslero, Iohanne
Lauterbachius Loba-
uiensis Hexap:

Omnia sunt hominum momento fluxa caduco,
Et mors & tempus rodere multa solent.
Ingenij virtus est sola superstes in æuum,
Quicquid & ingenijs prouida cura facit.
Sic tua Mecœnas celebrantur facta per orbem,
Sic legimus doctis ædita scripta viris.
At tua quò rapuit tempus miracula Memphis?
Quò ruit Elæo machina structa Ioui?
Non tulit ad seros sumptus molemq; nepotes,
Annorum nobis pondere victa iacet.
Ergò suum quisquis vult mittere nomen in æuum,
Non opibus, studijs hoc agat ille bonis.
Hinc Muslere pium præstas in secula munus,
Dum doctos nutris doctus & ipse viros.
Quæ sit in Aönides tua munificentia diuas,
Eccardus nostro tempore testis erit.
Hic sua dum cingit Phœbæa tempora lauro,
Fautorem non te, sensit at esse patrem.
Dum vero nimium curis obstrictus acerbis,
Non potuit grates carmine ferre suo,

Dico

Dico tibi meritas illius nomine grates,
Inq; Dei nato prospera fata precor.

AD CLARISSIMVM, VIRVM IO-
annem Dain Norimbergensis Reipub.
Ad Imperatorem Rom: Ferd
nandum Legatum Hen-
decasijllabum.

IN cassum perhibent amoeniores
Iam vates studijs sequi Camoenas,
Ex Musis etenim nihil venire
Quæstus insipido fatentur ore,
O verè stolidos Midas, & eius
Dignos auriculis negèt quis esse?
Tam multos superesse dum patronos
Phoebea celebres videmus arte,
Quos sanè meritò locaris inter
Fautor Pierij Daine coetus,
Quis Musas sine honore dicat esse?
Quas turpi decuit carere quæstu,
Florebunt celebres diu Camoenæ
Sed risum stupidi Midæ mouebunt.
Cum Musis etiam suis vigeant
Insignes animi bonis patroni
Fautor Pierij Daine coetus.

Dion. Pu.

MAGNIFICO VIRO D. NICOLAO

A WARNSTORFF, SERENISS: BOE. RE:

Maxmiliani consiliario, gentili & cōdiscipulo
suo obseruandis: Dialogum de crapula,
Ambitione & uana persuasione, Iu-
lius Paulus Fabricius dicauit.

*Philaretus, Thalia respon-
dens per Echo.*

P. SVnt tria dira suis cum rebus nomina dicis,
Cum mores censes sacra Thalia malos:
Venter, & ambitio, fallens persuasio sensus
Quæ demens aliquid de nihil vna facit:
Nec modo principium sumens nihil, efficit erga
Quæ facit ex nihili sed quoq; magna facit
Quid magis absurdū quam de nihil edere quicquā
Hæc tamen è nihili quod venit amplificat.
Et regit imbellesq; animos subigitq; philautos
Qui sua magna putant cum nihil esse queant.
Sic tria præcipue multos seducere dicis
Nec causas addis diua Thalia tamen
Forte loqui longum est? responsa remitte per Echo
Summa ea respondet voce rogata diu
Si tibi quo dicas nunc non sunt ocia, serus
Hinc eo, sed redeo cras ego mane E. MANE
P. Vis mihi de causis nunc respondere roganti?
Num mihi quod quæro suppeditabis? E. ABI S?

- P. Non: mea pondus habēt si vota petētis, & hæc vox
Compos erit voti si modo querit? E. ERIT
- P. Forte quod auriculis venter caret improbus errat
Sobria suadenti quod neq; credit E. EDIT
- P. Num nocet ambitio? cur non petat ardua virtus?
Cui titulum confer ambitionis E. ONOIS.
- P. Non igitur sapiat? sapere vnica credita multis
Visa senex sapere est quæ quasi canus E. ANVS
- P. Multa tamen iactat, mentes hominumq; pererrat
E. Errat. PH. at hæc vicij cur quid amaret E. ARET
- P. Vnica virtutes, doctrinas vnica prodit.
E. Odit. PH. cur vicium crescere malit? E. ALIT
- P. Nunc noui cur hic persuasio conuenit, extrat
Huius enim ex illa maxima labes E. HABES
- P. In quibus hæc tria sunt mihi dic & nomine iunge
E. Iunge: P. per hoc ad te curro nouale. E. VALE
- P. Quo fugis? ex studijs veniunt quæ dona? labore
Illa sequi iusto dummodo conor E. HONOR
- P. Dos honor est fragilis paruoq; hîc tempore durat
Vita perit Coelum cum mea finit? E. INIT
- P. Christum testantur solum conferre salutem
Quis probat hoc testis? pagina sacra? E. SACRA
- P. Dic mihi quid faciat doctosq; bonosq; pœtas
E. Ætas. P. Naturæ si bona demis? E. EMIS.

VIENNÆ AVSTIÆ EX-
cudebat Raphaël Hofhalter.

P. Non respondet habet de vobis patet de hoc
 Compositum vobis habet de patet de hoc
 P. Fortis quod autem vobis venter carere habet de hoc
 Solum habet de hoc patet de hoc
 P. Nam non est ambigens cur non perit ardua vicia
 Cui titulum contramissionis e. o. n. o. s.
 P. Non igitur sapienter habet vicia credita in malis
 Vile scire sapienter est quod dicitur e. a. n. v. s.
 P. Multa tantum facit mentes hominum potest
 E. Fortis patet de hoc vici cur quid amaret. A. R. P.
 P. Vicia viciae dicitur viciae viciae
 E. O. die. P. cur viciae crederet malis. A. L. I. T.
 P. Nunc non est hic de his de his de his
 Hanc enim ex illa maxima habet. A. R. P.
 P. In quibus haec res sunt in hiis de nominibus
 E. Iungit. P. per hoc ad te crimonouale. F. V. A. L. B.
 P. Quo iugis ex studiis veniuntque donec labore
 Illa sedgi iusto dummodo conor. F. H. O. M. A. R.
 P. Dos honor est scilicet parvo sic tempore dicit
 Vici patet Ceterum cum in hiis de his
 P. Christum restantur solum constantem
 Quis propter hoc est de patet facta. F. S. T. O. R. A.
 P. Dic mihi quid sit de hoc de hoc de hoc
 E. H. A. S. P. N. A. M. S. I. I. B. O. N. A. T. I. O. N. E. M.

WIENNA AUSTRIAE
 and bei Raphael Hofbauer



